208

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis decimâ-octavâ mensis Februarii, anno Domini M. D C C. X L I V.

M. ANTONIO DE JUSSIEU, Regi à Consiliis & à Secretis, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiarumque Societatum Angliæ & Prussiæ Socio, Botanices in Horto Regio Parisiensi Professore ac Demonstratore, Doctore Medico, Præside.

Herbis, an ferro promptior tutiorque abscessuum curatio?

I.



IRABILEM humani corporis mechanismum, diversam organorum ejus fabricam, mutuum diversarum ejus partium inter se consensum; motûs continui necessitatem, & assiduæ liquidorum cum solidis luctæ leges qui concipiet, is in eo omnium alterationum, quas morbos nuncupant, causas percipiet; quibus vel à primâ mundi ætate primos homines novâ licet validâque constitutione dotatos, internè aut externè obnoxios fuisse non est dubitandi locus. Internorum tunc suus sibi quisque naturâ dictante, Medicus erat; externi, si partem aliquam corporis à manûs propriæ auxilio remotam tentarent, opitulatricem alienam postulabant; inde prima artis Chirurgicæ origo, ab incunabulis ingenuæ, simplicis, ac fuci nesciæ, quæ antiquitùs Medicina non audiebat, nisi à communi ei nomine, indito cum cæteris artibus corpori roborando, mundando, ungendo, decorando & servando addictis, & à generalis medendi rationis etymo deducto. Quibus verò tunc instrumentis antiqua hæc naturalis Chirurgia, ad eas quas hodierna sibi vindicat ægritudines curandas uteretur, inquirere qui velit, apertum ubique agrestem naturæ librum consulat, nihil in eo de ignis atroci, nihil de sævo ferreorum instrumentorum apparatu reperiet, immò simplicissima, lenissimaque ei è vegetabilium passim & spontè nascentium delectu medicamina tantum occurrent: horum vires & extemporaneum usum noscere, non Medicorum solùm, sed & Regum Imperatorumque quondam suprema laus erat. Quantùm autem hæc internè externèque conducant, Medicis indicare supervacaneum; verum immò quanta ad morbos externos, quanta ad curandos imprimis tumores, auxilia herbæ præbeant, probare necessum est. Diversa à diversis humoribus, à diverso affectarum partium situ, nomina sortitur Affectionum id genus, ad eos potissimùm qui in abscessum à *congestione* degenerant, hîc loci nostra refertur cura, quorum historicas apud Antiquos causas, pro variis quibus hi viverent moribus, sigillatim persequi, si non difficilè, saltem longius foret: unum sit pro rato illos simplici & leni naturalis Medicinæ praxi herbarum scilicet applicatione promptè, tutò ac feliciter curari; eamque praxim quadraginta sæculorum usu & experientiâ confirmatam esse.

II.

ERUPTO intus è vasis humore, tumenti sub cute, quâvis in parte coacervato facilem præbendi exitum, quænam alia priscis his temporibus usitata ratio? Incassum quæritur; an acuto aut incisorio è silice, instrumenti metallici vices, cæteris ut olim in artibus, agente? Usûs autor nullus est, repugnassetque fragmentorum faciliùs fortè in vulnus intromittendorum discrimen; an ære, ferro longè antiquiori? Noxam quis nescit sanguini ex contactu ejus sæpius certam: an ferro? At sub primâ solùm mundi annorum chiliadis fine, è sacrorum Codicum, & Josephi historici autoritate à Chaldæis tantùm fuisse usitatum constat; & apud Ægyptios, Græcosque antiquiores, Medicinâ jam in artem compositâ, imbutos, adeò rarum fuisse, ut Homero passim & Herodoto referentibus non aliis illi quam æreis armis uterentur: ferrea etiam in Chirurgicos usus instrumenta Romanis ante Archagati *vulnerarii* in urbem adventum DXXXV. Reipublicæ anno, fuisse ignota, & exosum perterritis civibus, secandi sævitiâ, novi hospitis nomen transiisse in carnificem & in tædium à Plinio signatum, accepimus. Quibus verò veteris Medicinæ numinum, heroumque opitulatrix gloria nititur, nisi vegetabilibus? Scalpello, cultrove Græca, Romanaque antiquitas sacras Medicantis sui Appollinis imagines unquamnè armavit? Has conspicere erat tertio etiam Æræ Christianæ sæculo in quibus *Salutaris* nomine insignitus, herbarum fasciculos ægris dextrâ protendens depictus variis in monumentis nobis est superstes. Curationibus à Pæonis successoribus, Æsculapio, Chirone cæterisque Medicinæ principibus, deincepsque Machaone, Podalirio inclytisque aliis Medicis, herbarum ope perfectis, nihil apud Poetas magis decantatum. Ne verò ab extraneis tantum omnis autoritas peti videatur, Cornelio Celso, Herophilum nullum morbi genus absque vegetabilibus medicamentis non curasse alleganti, æquior fides erit; & cum ipsemet Celsus, cui ad punctionem in abscessibus ferrum ignotum erat, scalprum in extremâ tantùm morbi periodo suadeat, ipsique magis cataplasma arrideat, herbarum usui plus indè favoris dari reputandum est; & reverà si attendas ad applicandorum opportunè simplicium consilium, ad convenientium delectum, ad applicationis modum, ipsamque applicationem illicò percipies tàm consulentis Medici quàm agentis non mediocrem esse curam, ex quâ major prudentia, quàm in strenuâ aut lanceolæ latæ, aut scalpelli recti, aut cultelli falcati, aut forficularum tractatione emicat, nec minor peritia laudatur.

III.

VERAS hujusce abscessûs causas ignorantem, ad symptomata & progressum ejus minus attentum, & de conclusi humoris indole dubitantem, quæstionis judicem recusamus; sanguiferis lymphaticisque vasis, & nervorum fasciculis, millenisque vasorum ramis ramusculisque elasticâ vi præditis totam corporis machinam permeari, pro certo habendum; liberum vel velocem, vel lentum liquidorum circuitum, vel à continuo supervenientium impulsu, vel ab impresso vicinorum vasorum motu ac elatere, vel ab ipsorummet liquorum fluxiliori, aut spissiori substantiâ pendere omninò tenendum, nec eos aliquâ in parte quasi è masâ exules detineri, nisi à totius cachexiâ, aut ab acutis aliquando malignis, aut chronicis febribus illius depurationem criticam indicantibus. Hinc porro iners viscìditate lympha, vel negantes se attritui & canaliculorum diametro impares;in sanguine moleculæ, vel fortuita vasis à vicino lateralis compressio, tot sunt liquorum obices, tot violentæ vasorum quibus continentur dilatationis, deinque diæreseos causæ. Quâ datâ portâ tunc effluunt è rupto vase liquores, nullâ præterfluendi, nullâ retrogradiendi concesâ viâ; & crescente succedentium copiâ, undequaquè vasorum vicinorum interstitia penetrantur, ipsamet comprimuntur vasa ruptum circumdantia, & ea quæ cutem percurrunt, nullo exteriori nisi proprio membranarum repagulo coërcita extenduntur, ipsâque cute paulatim cedente manifestat se per *congestum* vulgò appellatus *tumor*, ex sanguinis undiquè coarctati æstu rubicans, & dolore gravi ex arteriarum & nervorum in coacervatam materiam solidi vices agentem impulsibus lancinans, qui si mollem afficit partem, minor; si tendinosam, si nerveam

membranaceamque acutus, nec ſine febre: quò ſtrictioribus fibris laxioribuſve cutis obſtat, impetumque impetu repulſat, oppoſitis ei externè aut internè vaſis magis vel minus cedentibus, eò ampliorem, profundiorem, vel magis extimum & minorem locum congeſta moles occupat; ea tot liquoribus conſtans, præterea etiam avulſis ac ſeparatis è gemino lymphaticorum, nerveorum, ſanguiferorum vaſorum diſruptorum extremo laciniis atque fimbriis augetur, quæ ſimul permixta, ſi attritu & digeſtione non molleſcant, gravè ſolidis exitium minantur; ſin liquidior facta moles, & ex chyli, cruoris, lymphæ, bilis, albo, rubro, limpido, flavo commiſtis agitatiſque coloribus albicantem nacta judicatur, & digito dilatatam cutem palpanti molliorem ſe præbet, dolore jam miteſcente, ad proximam felicemque foras eruptionem accelerandam, auxiliatrices manus repoſcit.

IV.

QUA olim abſceſſus facie, nunc eâdem ſe manifeſtant, critica plerumque eadem iis cauſa, iiſdem cruciant ſymptomatis: non abſimilis itaque ſanandi ratio inſtituenda eſt; immò dum ætate noſtrâ vegetabilium ſuppellex amplior curationis inſtrumenta multiplicat, facilitatem auget: cauſæ igitur ſic ratione habitâ, ut interiori curæ exterior reſpondeat, naturæ depurationis opus ambienti obſequaris. In quocumque voles morbum gradu conſpice, Herbis potiùſquam ferro primùm curationem tenta, infeliciter vix unquam res tibi ſuccedet; his opportunè ſi principio uteris, cum factâ mox diæreſi oſcillantia adhuc diſrupti vaſis ora ſuo nondum tono penitùs orbata, parvam nondùm alteratam omninò ſanguinis extra effuſi copiam, totique maſſæ ſanguineæ analogam ipſi reſtituere valent, blandis reſolventibus per totum exteriùs admotis, nobiliori humoris parti ſtimulos dabis, quibus vaſa repetat, & ſero per cutis poros eliminando vias aperies; ſin ſpe tibi nec reſolutionis, nec reſorbitionis ullâ affulgente morbus ingraveſcat, violentiorem arteriarum in congeſtam molem, & molis in arterias impetum emollientibus compeſces; ſanguinis fervorem externâ rubedine indicatum admiſtis leviter aceſcentibus & refrigerantibus temperabis; moleſtum anodinis dolorem demulcebis, & immenſæ tenſioni cutanearum fibrarum relaxatione occurres: quibus ſingulis ſimplicium Medicaminum generibus, tùm per repetita ſæpiuſque renovata Cataplaſmata, tùm per fotum frequentem adhibitis, magis atque magis attenuata cutis, vel leviſſimo emollitæ molis ad umbonem impulſui cedit, & quaſi ultrò ſolvitur; tunc maturum, ut inquiunt, purulentum liquamen, effracto quo retinebatur clauſtro copiosè erumpens, juvante digitorum ad tumoris vicinias compreſſione, quam vi ſibi fecerat, ſedem ferè vacuam relinquit; dùm lanceolâ latâ, aut ſcalpello facta ſolutio dolori lentam vel nullius in cute regenerationis ſpem addit. Neù tamen abſolutam hac evacuatione curationem puta: præcavenda eſt reliquiarum puris ora vaſorum interſtitiaque intus obducentis nidulatio, atque earum deterſio peragenda; quod farinaceis Cataplaſmatis ad naturæ imitationem perages; fruſtra autem id præſtabis vulneribus novis, dum cultello inciſorio labra vulneris ſecantem excitabis, & puri eliminando maſſam ſanguineam jam vappidam inficiendi adhuc occaſionem præbebis. Abſtergendum ulcus in ipſis etiam reconditioribus receſſuum anfractibus; accuratâ è vulnerariis lenibus plantis decocti injectione mundabis: purulentarum particularum corruptionem, ſphacelumque ſolidis exitium partibus quandòque minitantem ardentibus è fructibus fermentatis & diſtillatis liquoribus, decoctiſque aromaticis avertes; iiſque & ex lixivioſis è ſtirpium cineribus eductis ſalibus diſruptorum vaſorum in extremis appendices exinanitas à vivo ſeparabis; tuncque ſanguine ad ſejuncta vaſorum ora undèquâque appellente, ac ceſſante compreſſionis & corruptionis metu balſamicis ab aëris inſultibus tueberis, ſanguinis glutini gluten addes, carnibus vitam reddes, mutuamque partium ſeparatarum cohæſionem abſque fœdâ cicatrice accelerabis.

V.

VULGATISSIMO longoque jam apud Medicos in curandis abſceſſibus recepto ferri uſui, herbarum applicationem, quis non ſine gravi querelâ anteponat? Jam

reclamantium turbam audio? Rudi, ut aiunt, antiquorum arti perfectiorem recentiorum experientiam opponunt, herbisque non primariam sed maturandi solùm humoris congesti cutisque emolliendæ gloriam concedunt; ingens certè artificum negligentiæ specimen! qui puris legitimam conditionem herbarum esse beneficium, idque curationis opus præcipuum esse ignorant, & fabrili vulnus cum dolore statim inferentis instrumenti mechanicâ uti malunt, quàm nobiliori plantarum vires cognoscendi studio insudasse, labori parcentes, undè mitiora simplicis naturæ auxilia depromerent; vegetabilium Chirurgiæ famulantium neglectu erroris culpam non unâ excusatione velant; dum enim ea aut strictiorem cutis texturam attenuandi imparia, aut tenaciorem humoris extra diffusi substantiam resolvendi, atterendi, emolliendique impotentiâ accusant, liberali naturæ insultant, ejus opum delectûs ignari, vulneris inutilis, sæpè etiam noxii dolorem, lento quandòque sed tuto naturæ in sanguine depurando operi anteponunt; novas, dum puri per vim exitum parant, scalprum interius inferendi rationes allegant, superstitis nempè puris corruptelam, dilatandos in quos profundè irrepsit cuniculos, præcavendam subjectorum tendinum inflammationem, ossium cariem: at gravem sæpius providæ naturæ injuriam afferunt, nullâ ad umbilicalis funiculi prolapsum, nullâ ad facilem ab avulsâ placentâ cicatricem, nullâ ad variolarum deficcationem factâ attentione; meras etiam dicas, neglectæ anterius opportunæ curationis, & spretæ frequentis herbarum convenientium applicationis excusationes, sævissimis occasionem operationibus præbituras, non sine gravi ægrorum dolore, longo curæ tædio, profundioris & duræ cicatricis difformitate, fœditate, magnoque cutis impendio. Absit tamen ut tam iniquè hoc in morbo ferri usum semper damnemus, quin salutarem initio humoris resolutioni locum dandi causâ phlebotomiam suadeamus, quin & necessariam scalpri, cultelli incisorii, forficularumque opem censeamus, cum mollito licet tumore, nec dùm aperto, dolores augentur; cum erupti spontè purulenti liquaminis pravam conditionem & color illegitimus & dolor non cessans indicant, cum etiam post diurnam humoris extracti evacuationem ulceris vel ima, vel extrema, vel exterior pars indurescit, sed raram hanc minus solita, potiorem antiquam vulgaria & frequentia morbi symptomata curandi rationem postulant.

Ergo Herbis, quàm ferro promptior tutiorque abscessuum curatio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Tussanus-Gilbertus Boulland, Consiliarius Medicus Regis, ordinarius in ejus Castelleto.

M. Gaspardus Cochon du Puy, Regis Consiliarius in Arce Maritimâ Rupifortensi, Anatomes & Chirurgiæ Professor Regius.

M. Jacobus-Franciscus Vandermonde.

M. Jacobus-Albertus Hazon.

M. Claudius-Carolus de Jean.

M. Franciscus-Felicitas Cochu, Scholarum Professor.

M. Gabriel-Antonius Jacques.

M. Claudius de la Vigne de Frecheville, Medicus Regis & domûs Reginæ ordinarius.

M. Joannes-Damianus Chevalier, Regis Consiliarius Medicus ordinarius in Insulâ sancti Dominici.

Proponebat Parisiis, JOANNES-CLAUDIUS MUNIER, Laudonensis, Consiliarius Medicus Regis ordinarius, nec non domûs Regiæ Invalidorum ducum & militum, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1744. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1744.